

mili etiam modo Nouitij locum sui tenent ingressus, ita ut qui primò est ingressus, primus sedeat, ambulat &c. Si tamen Sacerdos Religionem ingrediatur, datur ei locus ante Nouitios, & Clericos professos, qui nõdum sunt Sacerdotes; est enim Sacerdotium rationabilis causa, propter quam alteri præponitur, qui postponi debebat. Vnde Chrysost. ho. 5. in Isai. Sacerdotũ, ait, *principatus est ipso Regno quid venerabilis, ac maius*. Et ita determinatur in nostro Correct. nu. 18. ubi dicitur. *Præterea ubique ordinate sedeant, præmemorati Nouitij iuxta sua receptionis tempus debitum, & vniuscuiusque gradũ, puta Præbyteri cum Præbyteris suo Religionis ordine immediate post vltimum Sacerdotem professum: Deinde Diaconi cum Diaconis, & postea Subdiaconi cum Subdiaconis, & postmodum ceteri suo ingressionis ordine.* His tamen professis antedictum Sacerdotem non præiudicatur, quoad tempus professionis, nam ubi illi ad Sacerdotij gradum quoque peruenierint, tunc pristinum locum, & ordinem professionis suę recipiunt. In reliquis autem debent omnia Nouitiorum, & Clericorum officia ad experimentum, & humilitatem facere. Nec per hoc, quod videant se antiquioribus præpositos, debent superbiere; nam eccli. 3. dicitur, *quanto magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et Chrysolog. serm. 142. fin. ait, *Deuotus animus in suis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam proficit, non ad superbiam pertumescit.* Sic itaque seruatur in Ordine nostro, & est conforme Regulæ S. Benedicti cap. 60. His suppositis,

D. Chrysost.

Chrysolog.

7. Dicendum est, quod finis, propter quem veniendum est ad Religionem nostram, est ad acquirendam perfectionem necessariam pro æterna beatitudine consequenda, mediante vita quadragesimali, & strictissima penitentia. Quod verò quadragesimalis abstinencia plurimum valeat ad acquirendam perfectionem, felse probauit to. 1. Relig. q. 4. cap. 9. agens de effectibus illius. Quod autem per penitentiam eundem habeamus intentum, docet Gerson to. 3. in expos. 7. psal. Gerson penit. init. ubi ait. *Quod vera penitentia est velut scala quadam,*

quid præbent?

Gerson